

naturalem; v. g. *fides*, *spes*, *charitas*, sive tantum ex modo quo datur; v. g. scientia linguarum apostolis a Deo subito collata. — Habitus supernaturalis dicitur etiam *infusus*, quia supernaturaliter a Deo infunditur.

29. IV. *De habitus effectu.* — Triplex est effectus habitus: facit nimirum ut potentia in actum suum uniformi, facili ac delectabili ratione prorumpant. — 1° *Uniformi*; quia est stabilis qualitas, ad agendum inclinans potius eo quam isto modo; unde a D. Thomâ vocatur « *altera natura* » (1^a, q. 63, a. 4, ad 2), quatenus uniformiter ut natura operatur. — Non tamen absolutè necessitatem inducit, ut natura; sed tantum minuere libertatem solet; at, experienciâ teste, sicut *acquiri* vel *augeri* potest, ita etiam *imminui* vel *amitti*. — 2° *Facili*; quia ex habitu certa propensio in actus quosdam enascitur; quanquam habitus in illâ facilitate non consistit, ut recentes quidam voluerunt, quippe quæ producitur ex habitu, nedum eum constituat. — 3° *Delectabili*; nam, docente D. Thomâ, habitus « operationem sibi propriam quasi *naturalem* reddit, et per consequens delectabilem; nam convenientia est delectationis causa. » (*Qq. dispp.*, q. 1^a de virtute, a. 1, c).

Quapropter habitus naturâ suâ tendit ad fovendum *progressum*. — At, ex aliâ parte, minuit sæpe mentis *attentionem*, *reflexionem*, *studium*, sicque obstat actuum perfectioni.

SECTIO SECUNDA

De potentiis animæ sigillatim inspectis.

Quoniam diximus quinque esse potentiarum animæ *genera*, scilicet potentiam vegetativam, sensitivam, intellectivam, appetitivam et motricem, de iis singulis ordine suo disputandum venit.

CAPUT I

DE POTENTIA VEGETATIVA

Circa vitam vegetativam, de quâ fusiùs in Cosmologiâ, hic breviter tria dicemus: 1° de illius notione ac diversis muneribus; 2° a quonam principio sumenda sit scala viventium; 3° an operationes vegetativæ in homine sint rationales aut naturales.

ARTICULUS I

Notio vitæ vegetativæ diversæque illius potentia (1).

30. I. *Notio generalis vitæ.* — Operatio vitalis ea est quæ oritur a principio agenti intrinseco et spontaneo; unde viventia distinguuntur a non viventibus, in eo quòd alia spontè se ipsa movent ad agendum quin impellantur a causâ extrinsecâ, alia autem non agunt nisi impulsu aliquo externo moveantur, et potius *aguntur* quàm *agunt*, quia deest ipsis omnis spontaneitas. — Res patet exemplo quod petit S. Thomas ex vitâ in animalibus; nam « primò dicimus animal *vere*, quando incipit ex se motum habere, et tamdiu *judicatur* animal vivere, quamdiu talis motus in eo apparet; « quando verò jam ex se non habet aliquem motum, sed « movetur tantum ab alio, tunc dicitur animal mortuum per « defectum vitæ. » (1^a, q. 78, a. 1, c).

31. II. *Variæ potentia vitæ vegetativæ.* — 1° Vita vegetativa adæquatè sumpta, triplicem vim amplectitur, nempe *nutritionem*, *augmentum* et *generationem*. Quare principium

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^{re} part., c. 2.

vegetativum definiri potest *illud ex quo substantia quædam corporea sese nutrit, auget et propagat.* — Triplicis hujus potentia rationem clarè describit S. Thomas : « Vegetativum habet pro objecto ipsum corpus vivens per animam; ad quod quidem corpus triplex animæ operatio est necessaria. Una quidem per quam esse acquirat, et ad hoc ordinatur potentia *generativa*. Alia verò per quam corpus vivum acquirat debitam quantitatem, et ad hoc ordinatur potentia *augmentativa*. Alia verò per quam corpus viventis salvetur in esse et in quantitate debitâ, et ad hoc ordinatur vis *nutriliva*. » (1^a, q. 78, a. 2, c).

2^o Nutritione vivens *convertit alimentum in substantiam suam*. 3^o Augmento *debitam quantitatem ac perfectionem acquirit*; quâ semel acquisitâ, ad aliud sibi simile generandum par evadit. 4^o Generatio verò significat *originem alicujus viventis a principio vivente conjuncto, secundum similitudinem naturæ, ita ut substantia quæ generatur ortum habeat ex ipsâ generantis substantiâ, illique, ipsâ vi originis, similis sit naturâ.* — Hinc sequitur generationis discrimen tum a *creatione*, tum a *simplici effectione*, tum etiam a *generatione latiori* sensu acceptâ, prout nempe importat solum originem alicujus ab altero, quocumque modo res fiat, sive per *transmutationem*, sive per *corruptionem*.

32. III. *Ordo inter illas tres potentias.* — Variam cujusque perfectionem pulchrè declarat D. Thomas : « Inter tres operationes animæ vegetabilis est quidam ordo. Nam prima ejus operatio est nutritio, per quam salvatur aliquid ut est. Secunda autem perfectior est augmentum, quo aliquid *proficit* in majorem perfectionem, et secundum *quantitatem*, et secundum *virtutem*. Tertia autem perfectissima et *finalis* est generatio, per quam aliquid jam quasi perfectum in seipso existens alteri esse et perfectionem tradit... Hinc sequitur quòd sit conveniens definitio animæ vegetabilis : ut sit *generativa alterius similis secundum speciem.* » (In II *de Animâ*, lect. 9). — Quapropter « generativa quodammodo appropinquat ad dignitatem animæ sensitivæ, quæ habet operationem in res exteriores ». (1^a, q. 78, a. 2, c).

ARTICULUS II

De principio a quo sumenda est scala viventium.

33. Tripartitam esse vitam in viventibus hujus mundi nemo est qui nesciat; aliis enim nonnisi vita vegetativa inest; aliis vita sensitiva cum vegetativâ; aliis demum vita intellectiva cum vegetativâ et sensitivâ.

34. Porrò ex vitæ definitione colligere est *undenam* oriatur scala illa viventium, et quomodo perfectio vitæ sit aestimanda. Etenim vivencia dicuntur *quæ sese movent ad agendum interno principio et spontaneo*; quantò igitur magis aliquid vivens *ex se ipso* suas actiones exercet, et quantò minùs ab aliis movetur, tantò perfectiùs vivit. — Sed, hoc admissò, verè censuit D. Dionysius « in plantis vitam inesse secundum ultimam « *resonantiam vitæ* », quippe quòd nullo modo agnoscunt finem ad quem ordinantur, sed *exequuntur* tantum instrumentaliter actionem sibi naturâ inditam.

Animalia suarum operationum magis principium sunt; siquidem *percipiunt* per sensum quò tendant, et ipsâ vi ejus cognitionis *apprehensivè* ad agendum sese movent. — Magis adhuc sui actûs principium et causa est homo, tum quia finem suum et proportionem mediorum ad finem intelligit, tum quia libertate pollet, sicque seipsum *dirigit* ad suum finem. — Duo tamen ipsi a naturâ præstituta fuerunt, quibus movetur necessario, nempe principia prima et ultimus finis sive beatitudo.

At verò ens illud quod a nullo alio pendet aut movetur, sed « cui, id quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitæ. Tale autem est Deus. Unde in Deo maximè est vita. » (1^a, q. 18, a. 3, c). Quare in Litteris sacris vocatur Deus *vivus*.

ARTICULUS III

Utrum operationes vegetativæ in homine sint rationales an solum naturales?

35. Errores. Scaliger et Stahl contenderunt corpus vitam habere ab animâ rationali, præcisè quatenus rationali, et operationes vegetativas, in homine, rationales esse, non autem naturales, sicut in viventibus ratione carentibus. At dicendum est corpus ex animâ quidem rationali vitam habere, non tamen mediante ratione, sed organicâ potentiâ quam vegetativam vocant.

36. Assertio: *Operationes vegetativæ in homine non sunt rationales, sed naturales.*

Probatur 1° directè. Ex dictis supra (n. 8) operationes specificè distinctæ promanare haud queunt ab unâ eademque potentiâ. Atqui operationes vegetativæ et operationes rationales sunt specificè distinctæ, cum priores ad corpus ordinentur, et corporeis organis perficiantur, posteriores autem referantur ad immateriale, nec ullis utantur organis, ut infra stabilietur.

2° Indirectè; si anima nostra, quâ rationalis, vegetativas operationes in corpore exerceret, aut iis quodammodo dominari, aut saltem earum conscientiâ frui deberet; nam rationales operationes voluntatis imperio subjacent, caduntque sub conscientiæ apperceptionem. Porrò in vegetativas operationes imperium non habet anima, nec earum conscientiâ fruitur.

CAPUT II

DE POTENTIA SENSITIVA

Cum inquisitio de potentiâ sensitivâ magni sit momenti, et a recentibus philosophis longè aliter atque a doctoribus nostris intellecta, eam ad examen diligentius, quantum licebit, revocandam curabimus. Hinc dicemus: 1° de sensatione universim consideratâ; 2° de sensibus externis; 3° de sensibus internis.

ARTICULUS I

De sensatione universim consideratâ.

37. Potentia sensitiva definiri potest *ea quæ percipit res materiales, quatenus materiales et singulares.* Ad eam explicandam, dicendum est: 1° de objecto sensationis; 2° de illius subjecto; 3° de illius naturâ; 4° de illius actu.

§ I. — De objecto sensationis.

Sensationis objectum *sensile* nuncupatur, propterea quòd sub sensus cadit et ab iis percipitur.

38. Assertio: *Corporeæ qualitates proprium sunt sensationis objectum, per accidens autem ipsa corporea substantia.*

PROB. 1^a PARS, quia quisque sibi conscius est se non sentire aliquid nisi materiale seu extensum. Præterea, experientiâ constat sensatione directè percipi varias qualitates materiales, v. g. colorem, calorem, sonum, odores, figuram et alias id genus proprietates.

PROB. 2^a PARS contra Reidium, Rosminium et Giobertium,